



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Quid Nominas Creare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

eterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & filio, sicut patefacit  
 unitas, certo verbo, & testimonijs diuinis, quod Pater æternus  
 cum Filio & Spiritu sancto condiderit & conseruet, cælum & terram,  
 omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quo ad conseruationem,  
 & colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter filium, &  
 cream, & sit iudex iustorum & iniustorum.

**QVID EST PERSONA?**

**PERSONA** est subsistens viuum, indiuiduum, intelligens, in-  
 communicabile, non sustentatum ab alio. Græce ὑπὸστασις. Essen-  
 tia vero nominatur, quod reuera est, etiam si est communicatum. Et  
 tenetur discrimen inter οὐσίαν & ὑπὸστασιν. Sunt autem tres  
 personæ diuinitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ἰσοῦστοι, non  
 plures, nec pauciores, quia sic se diuinitas patefecit.

**QUOMODO DISCERNUNTUR?**

**PATER ÆTERNVS** est prima persona diuinitatis, non na-  
 ta nec aliunde procedens, sed quæ ab æterno genuit filium, imaginem  
 suam, & à qua procedit Spiritus sanctus, & quæ cum filio & Spiritu  
 sancto omnes alias res creauit, & earum substantias conseruat.

**QVID NOMINAS CREARE?**

**CREARE** est ex nihilo aliud facere, sicut Deus cælum & ter-  
 ram, Angelos, & totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihi-  
 lo, non ex aliqua præcedente æterna materia, ut multi Philosophi co-  
 gnauerunt. **GIGNERE** est alium de sua essentia gignere.

**FILIUS ÆTERNVS** est secunda persona diuinitatis, quæ  
 est substantialis & integra imago æterni Patris, quam Pater sese intu-  
 ens & considerans ab æterno gignit, quæ nobis quidem sic manifesta-  
 tur, quod sit persona per quam Pater dicit decretum, & totum ordi-  
 nem creationis & reparationis hominum, & mittitur ut patefaciat  
 Euangelium, & assumat humanam naturam, & sit mediator, redem-  
 ptor, iustificator, & saluator.

**SPIRITVS SANCTVS** est tertia persona diuinitatis, pro-  
 cedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & læticia cœterna,  
 inter Patrem & Filium. Et nobis sic manifestata est, quod mittatur in  
 corda credentium, ut tales motus, amorem & læticiam acquiescentem  
 in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Tim. 1. expresse scri-  
 ptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectio-  
 nis Dei, & castificationis.

**QVID DIFFERUNT NASCI  
 & Procedere?**

**NASCI** est à potentia cognoscente. Quia genitum est imago  
 y 5 gignen-